



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

4. An in appetitu sensitivo possit esse peccatum mortale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

vel cognitionem pertinere ad rationem superiorem, quia ad illam pertinet gubernare hominem non solum in actibus ultimis, sed etiam in ipsis cogitationibus, & consequenter doctrinam D. Thomæ, & Augustini intelligendam esse secundum quandam attributionem, quam ipse optime exponit.

## SECTIO IV.

An appetitus sensitivus possit esse mortale peccatum secundum se.

I.  
Error hereticorum & fundamentum.

Dico secundum se, ut excludam consensum voluntatis, ut dicam infra. Est enim hereticorum sententia omnem motum appetitus sensitivi esse mortale peccatum, etiam si non consentiat voluntas. Fundamentum est, quia omnes isti motus sunt prohibiti illa regula, non concupiscite, quod sic intelligunt: ratione naturali non cognoscit homo istam concupiscentiam esse peccatum, sed sola lege Dei: ergo intelligitur de ipso motu appetitus secundum se. Confirmatur ex Augustino 1. de nuptiis, & concupiscent. cap. 25. & 2. contra Iulianum, & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 8. ubi concupiscentiam vocat iniquitatem, & peccatum, quia inest ei inobedientia contra dominatum mentis, & ideo facit nos non solum miseros, sed etiam malos, & refert id Matth. 7. Si vos cum sitis mali, &c. & Hilarius dicentem discipulos etiam iustificatos dici malos malitia concupiscentiæ trahit ex Adamo, & addit Augustinus per Baptismum tolli concupiscentiam non ut non sit, sed ut ad peccatum non imputetur, idem sermo 5. de verbis Apostoli, & de spiritu, & litera cap. ultimo. De his moribus etiam videtur interpretari illud, non concupiscite, ideo concludit non posse perfecte servari in hac vita, licet illa servari possit. Post concupiscentias tuas ne eas, Ecclesiastici 18. Tandem concupiscentia per se mala est odio habenda, ut ad Romanos 7. & ut in Epistola Iude dicitur, imo addit Augustinus Deum odisse illam, qui tamen solum odit peccata.

II.  
1. Propositio de fide.

Prima tamen propositio sit. De fide est motus hos appetitus, si voluntas per consensum non accedat, non esse peccata mortalia, est definita in Tridentino sessione 5. Probatur, quia isti motus, ut sic sunt necessarii: de ratione autem peccati mortalis est, esse liberum perfecte, ut supra est ostensum, hinc Chrysostom. hom. 14. ad populum, concupiscentia consentire peccatum est, non concupiscere: quia scilicet hoc naturale est, illud liberum: idem homilia 17. in Mattheum. & 17. ad Rom. Prosper lib. 3. de vitæ contemptu cap. 3. & 4. Ambrosius de officiis cap. 21. Hieron. epistola ad Eustochium de virginitate. Gregor. 4. moralium capite 27. & eadem est sententia Augustini, ut patet lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 10. & 1. de peccatorum meritis cap. 35. ubi hinc propria voluntate dicit nullum esse peccatum, & libro 2. de Genesi cap. 14. Cum reluctamur concupiscentiæ, non peccamus, sed coronamur. Et hoc idem videtur docuisse Iacobus cap. 1. cuius beatum appellat eum, qui suffert tentationem, quam statim dicit in concupiscentia sitam esse potissimum, tamen illam non generare mortem, nisi peccatum fuerit consummatum, nempe per liberum consensum voluntatis, ut sancti exponunt Beda ibi, & Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 51. Aug. lib. 5. contra Iulianum. cap. 3. & lib. 6. cap. 8.

Ad hanc rationem dupliger respondet hæ-

retici. Præmo negant de ratione peccati, quod coram Deo peccatum est, esse voluntarium vel liberum, licet admittant illud esse de ratione peccati, quod vocant politicum & civile, quale, inquit, est illud, quod deservunt plurimi. Sed hoc vanum est, nam peccatum verum coram Deo est, quod & Scriptura & Ecclesia & sancti de cent esse peccatum, sed Scriptura docet in potestate hominis esse peccare, & non peccare, & rel. qua non tribuit culpæ coram Deo, & ideo dicit Ecclesiastici 15. ante hominem positam esse vitam & mortem, ut quod voluerit eligat, propterea monet ne peccemus, Ecclesiastici 21. non adicias iterum, &c. Ioan. 5. nolite amplius peccare. 1. ad Corinth. 15. nolite peccare. 1. Ioan. 2. nolite diligere mundum, &c. Præterea id quod vere, & coram Deo peccatum est mortale, non potest esse iniustus, & simul cum charitate: at isti motus concupiscentiæ sunt iniusti servata iustitia, ut constat, ei go: &c. Maior la. e. ostenditur in opere de gratia lib. 11. cap. 4. Nunc brevier. Ioan. 3. Qui in eo manet non peccat, ad Romanos 8. nihil damnationis est istis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, &c. Respondent heretici, ideo hoc dici, quia non imputatur: sed aperte Paulus vocat damnationem id, quo homo fit dignus damnatione, sicut cap. 5. dixerat per Adæ peccatum damnationem in cunctis homines pertransisse, nam in fine cap. 7. mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: & addit. Nihil ergo damnationis est his, qui non secundum carnem ambulant, id est, qui non consentiunt concupiscentiæ, quia tunc non consentitur ipsi operari, id est, humano modo, & moraliter, & ideo capit. 7. dicit, Non ergo operor illud, &c. Vide Augustinum 1. retractationum capite 15. Ausertur aut, omnis iniquitas, sed non omnis infirmitas: omne peccatum, sed non omne malum. idem lib. 6. contra Iulianum cap. 5. & Hieron. 2. & 3. dialogo contra Pelagium & Epistola ad Oceanum. Cyprian. sermone de ablutone pedum.

Secundo respondent istam voluntatem esse voluntariam voluntate primi peccantis, in quo quidam ex Catholicis videntur concedere concupiscentiam in homine existente in peccato originali vere esse peccatum propter causam dictam. Henric. quodlibet 6. quest. 32. fauet Augustinus 1. de nuptiis cap. 23. & lib. 2. contra Iulianum cap. 3. & lib. 6. cap. 5. ubi solum in renatis dicit fomitem non esse peccatum, & Tridentinum sess. 5. solum hoc definit. Sed primo, si hoc detur, nullo modo dicendum est, hos motus ita esse peccata, ut habeant propriam, & intrinsecam malitiam moralem, atque adeo, ut sint distincta pœna digni ab illa, quæ debetur peccato originali. Secundo neque proprie, neque vere dicuntur isti motus peccata, etiam in infidelibus, quod recte docuit Div. Thomas 1. 2. quest. 89. art. 5. probatque optime primo, quia repugnat actuali peccato esse voluntariam voluntate aliena, ut Augustinus dixit supra: nam hoc dicitur per se primo peccatum actuale ab originali. Tertio quia omnes effectus, qui sequuntur sunt ex peccato Adæ, ita consentur moraliter voluntariis, ut tribuantur ad culpam, alias mors hominum omnium fuisset voluntaria Adæ, & ipse incurrisset malitiam homicidii omnium hominum, & eodem modo unicuique esset propria mors voluntaria, & peccatum, voluntate Adæ: ergo illi tantum effectus fuerunt Adæ voluntarii qui proxime sequebantur ex eius peccato, & propter quos vitandos teneretur ipse vitare peccatum, peculiari obligatione. Quarto, quidquid sit de ipso Adamo, tamen ut ex materia de o-

De originali, ut infra constabit, non quidquid ipse voluit, cum peccavit voluerunt omnes posterius voluntate eius, sed solum illius præcepti transgressionem, quod illi, ut capiti totius posteritatis erat impositum, alia vero damna sequuta imputari poterunt Adæ, ut particulari personæ, non vero posteritati eius. Concilium autem Tridentinum solum hoc definit in renatis, quia illud tantum erat indubitatum, & pertinebat ad fidem, & eundem puto esse sensum D. Augustini, quod confirmatur, nam si voluntas Adæ sufficiens est, ut hæc concupiscentia esset peccatum in infideli dormiente, talis motus esset peccatum, ut in puero ante usum rationis, quod solum indicat Augustinus 7. de Civitate cap. 11. & lib. 6. de duabus animabus contra Manichæos cap. 10. videatur etiam secundo libro de gratia Christi capite octavo.

V. Ad fundamentum Lutheranorum respondeo, præceptum illud, non concupisces, ad voluntatis consensum referri: idem est illud, post concupiscentias tuas ne abeas, &c. ut tractatu 2. agentes de voluntario, ex sententia Patrum diximus. Et præterea patet, præceptum enim debet esse de re possibili, i. Ioan. 5. Mandata eius gratia non sunt. Mar. 11. Iugum meum suave est. Deuteron. 4. & in Tridentino sess. 6. c. 11. concupiscentia vero, sæpe antevertit deliberatam voluntatem. Secundo, quia sensus non est capax præcepti, quia neque potest cognoscere superioris potestatem, neque vim præcepti, neque rationem turpis, & honesti. Tertio reliqua præcepta Decalogi ad voluntatem referuntur, tandem ipsamet Scriptura ita interpretatur hoc præceptum, Eccl. si astici 18. ad Romanos 6. & ideo Matth. 15. Ea solum conquinant hominem que ex corde exeunt, id est, à voluntate, & libero consensu. Dices, si hoc præceptum non cadit in hos motus, etiam non erit prauum consentire illis. Respondeo negando consequentiam, quia prohibitum est velle illos, & consequenter, licet illi non sint prohibiti, ut motus quidam naturales, tamen veniant, ut habent rationem obiecti amabilis, & supponuntur esse aliquo modo actus humani, & liberi: vide Augustinum 6. contra Iulianum cap. 18.

VI. Ex quibus locis patet male hæreticos exponere illa verba ad Romanos 7. Concupiscentiam nesciam nisi lex diceret, non concupisces, &c. non est enim sensus, legem veterem demonstrare istos motus per se esse peccata, nam aperte ibi Paulus vocat hanc legem, non concupisces, legem mortis, tanquam ad intellectum, & voluntatem pertinentem, vnde ibidem ait, si autem quod nolo facio, consensio legi, id est, licet sensus concupiscat, si tamen ego nolo, obedio legi, signum ergo est ad voluntatem referri, addit tamen, quia iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. ubi fomitem peccatum vocat: quia & ad peccatum inducit, & ex peccato est, tanquam pœna peccati: est enim nomen peccati mortalis in Scriptura multiplex, nam proprie culpam, translate vero, interdum significat vel hostiam pro peccato, vel pœnam, & hoc modo usurpatur hic, ut docet Tridentinum supra, & Sancti citati, & Augustinus 1. de nuptiis cap. 23. & patet ex ipso sermone Pauli, nam non loquitur de actu concupiscentiæ, sed de ipso inordinato principio, quod fomes dicitur, & idem vocat legem peccati, quod metaphorice dictum est: quod ergo inquit, concupiscentiam nesciam, propter Iudæos dicitur, qui, ut supra dixi, non intellegebant solum interiorem consensum esse peccatum, neque quia dicit, legem peccati repugnare legi mentis, ideo sequitur concupiscentiam esse peccatum, quidquid legi quomodoque repugnat

peccatum est, sed voluntaria eius transgressio, neque peccare potest contra legem, nisi ille cui lex est imposita, non est autem imposita lex appetitui, sed voluntati.

VII.

Ad loca Augustini ibid.

Ad August. respondeo mentem eius satis constare ex eisdem capitibus, in illo ergo loco secundi libri contra Iulianum concupiscentia dicitur peccatum, non quia hominem faciat reum, sed quia reatu primi peccati facta est, & ideo 1. de nuptiis cap. 25. ait per Baptismum non tolli concupiscentiam, sed reatum illius, nam tollitur originale peccatum, propter quod homo est reus concupiscentiæ, & aliarum pœnarum, & hoc idem est, quod ait Baptismo fieri, non ut concupiscentia non sit, sed ut non imputetur, quia scilicet aufertur culpa à quo ipsa oritur. In aliquibus præterea locis indicat Augustinus concupiscentiam esse peccatum, licet non possimus ei resistere: tamen nunquam loquitur de potestate simpliciter, sed morali, & vocat impossibile quod est difficillimum, & non loquitur generaliter de omnibus hominibus, speciatim de quibusdam, qui culpa sua, & prava concupiscentia, ita sunt dediti concupiscentiæ, ut vix possint resistere: frequentius tamen loquitur de culpa veniali, & de impotentia vitandi omnes hos motus collectiue, non singulos: & hoc modo dicit legem illam, non concupisces, imperfecte impleri in hac vita, quia saltem venialiter, occasione concupiscentiæ, ab illa deficiamus, videatur idem Augustinus de spiritu, & litera cap. ultimo, & de perfectione iustitiæ circa finem, & 1. de nuptiis cap. 29. sermone vero 45. de tempore, dicit præceptum illud servari in hac vita quoad substantiam, non vero quoad finem præcepti, quod alias dicit de præcepto charitatis. Quod denique Augustinus ait Deum odisse concupiscentiam, vel est intelligendum de concupiscentia voluntaria, vel certe propter radicem eius, hoc enim modo 1. Ioannis 2. dicitur non esse ex patre, sicut enim dicitur in scriptura, Deum odisse mortem.

SECTIO V.

An in appetitu sensitivo per se possit esse veniale peccatum.

Dico per se eodem modo, quo in titulo præcedentis sectionis Caietanus 1. 2. quest. 74. art. 4. affirmat, & videtur favere D. Thomas, dicit enim in sensualitate posse esse peccatum veniale, non mortale: loquitur ergo de sensualitate secundum se, nam, ut subest voluntati, etiam mortale potest esse in illo, ut dicemus. Idem colligitur ex articulo secundo, & 3. & ex differentiis, quam constituit inter appetitum sensitivum, & membra exteriora. Fundamentum est, quia appetitus sensitivus per se habet aliquam deliberationem, & libertatem, ut indicat ibid. D. Thomas & 2. d. 21. quest. 1. & faver Aristoteles 1. Politicorum cap. 3. & 1. Ethicorum cap. ultimo, ubi dicit appetitum moveri politice: non potest autem moveri politice, nisi quod est mobile liberum. Et ratione patet, quia cogitativa hominis est particeps rationis, vnde potest componere, & discernere in particularibus, vnde libertas oritur. Confirmatur, quia experimur illos concupiscentiæ motus discursu, vel ratione remitti, vel intendi. Confirmatur secundo, nam ideo in appetitu ponuntur ab Aristotèle, & D. Thom. quædam virtutes morales.

L1 4

Respon-